



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Largitionis Munerum ad intellectum Bullæ Clementis VIII. incip.
Religiosè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

& ita per istum test. tenent Bald. Angel. Fulgos. & Paul. de Castr. in d. l. iubemus; & Paul. de Castr. in l. & non ipsa C. de fideicommiss. Angel. in l. in fraudem §. 1. ff. de testam. milit. quoties omnino sunt furdi, & muti, Nouar. de elect. fori quæst. 10. num. 11. sect. 2. in vltima impressione Neapolitana fol. mihi 80. Tamen testamentum ad pias causas nutu factum ab eo valet, gl. in c. cum tibi de testam. Bald. in d. l. 1. col. 2. vers. super quinto C. de Sacros. Eccles. & in l. post diuisionem ff. de iuris. & facti ignorantia, latè Tiraquell. de priuileg. p. 1. causæ priuileg. 8. Item quia ad pias causas attenditur tantum ius naturale, & diuinum, sicut in testamento militis, nec attenditur solemnitas iuris civilis, vt per omnes Doct. in cap. relatum, & cap. cum heres de testamentis, & in d. l. 1. C. de sacros. Eccles. & in l. Lucius ff. de milit. testam. Item de testamento militis, ad testamentum ad pias causas, validum est argumentum, vt firmat Bart. in d. l. 1. q. 8. & 10. §. part. principalis C. de sacros. Eccles. Ancharan. & Imol. in d. cap. cum es, vbi quod sicut miles potest pro parte decedere testatus, & pro parte intestatus, ita testamentum ad pias causas pro parte factum valet; sed testamentum militis nutu factum valet etiam rescriptum in puluere, dummodo per duorum testes probetur, ergo &c.

5 Declaratur similiter, vt antesignata conclusio sit vera, & procedat etiam in filio familias, qui de peculio aduentitio ad pias causas testari potest, nam de peculio castrensi vel quasi nulla dubitatio esse debet. Hæc de profectio cum in illis affirmatiue dispositum sit in hoc negatiue, & de aduentitio in quo dubitatio esse poterat Bartol. in d. l. 1. n. 20. C. de sacros. Eccles. cum ista distinctione resoluit. Aut Pater habet illius vsumfructum, & in Patris præiudicium non potest l. penult. ff. qui testam. fac. poss. quia nunquam priuilegium cum alterius iactura concessum dicitur, l. nec auis. Cod. de emancipat. liber. l. 2. §. merito, ff. ne quid in loco publico, & ita Bartol. Nouarius forens. quæst. 63. num. 7. lib. 1. & ita Bartolus in citata l. 1. limitat illam, vt non procedat quando quis alterius fauore prohibitus est, quia per dictam l. non censetur contra tertium dispensatam. Item quia filius non potest testari etiam Patre consentiente de peculio aduentitio, quia vltima voluntas ex alieno arbitrio pendere non debet, l. illa institutio ff. de hered. instit. cum similibus. Sed huic rationi Bartol. respondet per dict. l. 1. dispensatum esse defectui captatorie voluntatis ita vt ad pias causas valeat dicto cap. cum tibi, de testamentis, & ideo Bart. concludit, quod filius familias de peculio aduentitio cuius Pater habet vsumfructum testari potest si Pater consentiat, & licet Abb. in cap. 1. de testam. num. 10. dicat opinionem Bartoli non esse veram per text. in cap. licet §. final. de sepultur. lib. 6. tamen Bartol. respondet num. 24. in fine, quod ille textus procedit quoad sepulturam, ego dicerem, quod procedit in donatione causa mortis nam dicit circa peculium castrense, vel quasi non potest indicare nisi de patris consensu, & ibi glos. allegat. l. tam is, ff. de donat. caus. mort. Et addit rationem nam filius potest in vita disponere de peculio aduentitio cuius Pater non habet vsumfructum, & illum liberè donare ad eius libitum auth. vt liceat matri, & auie in principio, & ibi Doctor. & alij relati per Crauet. in consil. 92. vbi attestatur esse communem opinionem, sed in dicta l. 1. disponitur vt quicquid inter viuos facere potest etiam in vltima voluntate possit, vt in vers. liber. sit stylus, & liberum arbitrium, & de rebus suis, quæ res durant vsque ad tempus mortis, quare in peculio aduentitio cuius Pater non habet vsumfructum teneo, quod ad pias causas testari possit quid dixerit Couar. in rubr. de testam. in 3. par. n. 9. & de hoc etiam scribit Tiraquell. de priuileg. p. 1. causæ c. 78.

Verum dum hic casus accidisset in mea Diocesi Vici Equensi ego mandauit praticari contrarium, nã licet Deputatus Curie esset renitens ad cõcedendã licentiã sepeliendi illũ qui erat mortuus ab intestato stante quod ipse intendebat facere testamentum ad pias causas, porrecto mihi memoriali per patrem defuncti mandauit, quod non molestaretur, sed cadauer sepultura traderetur, hortatus sum tamen patrem vt pro anima filij aliquid pauperibus erogaret, prout eum effectu pius pater egit ad honorem Dei.

Declaro autem, vt supradicta procedant in inhabilibus præterquam ex defectu intellectus, nam furiosus mente captus infans, & pupillus testari non possunt per d. l. 1. C. de sacros. Eccles. in vers. iudicia, & in verbo voluntates, quæ in istis personis non sunt, Item miles, qui tot priuilegia consequutus est ob defectum intellectus testari non potest. Item in Monacho, & ad mortem damnato de quibus Bartol. & Bald. in d. l. 1. C. de sacros. Eccles. & latius per Tiraquell. de priuileg. p. 1. causæ priuileg. 79.

PRAXIS LARGITIONIS
Munerum ad intellectum Bullæ Clementis
VIII. incip. Religiosè.

RESOLVT. LXXXI.

1 Pænæ Religiosorum largitiones munerum facientium,

Quibus pœnis afficiantur Religiosi donationes, seu largitiones munerum facientes.

EX præmentionata Bulla Clement. VIII. colligitur largitiones munerum prohiberi Religiosis sub pœna priuationis dignitatum, graduum, munerum, & officiorum obtentorum, & obtinendorum, voce actiua, & passiuâ, pœna perpetuæ ignominie, & infamie, ipsosque teneri pœna furti, & simonia, ita vt aduersus eos possit benè procedi.

RESOLVT. LXXXII.

1 Verba Bullæ.

2 Declaratoria Iudicis, an requiratur ad incurrendas pœnas contentas in Bulla.

An præpositæ pœnæ ligent absque Iudicis declaratoria.

1 PRO resolutione placuit hic adducere Verba Bullæ ibi. Quod si quis ex supradictis regularibus viri libet sexus, cuiuscumque gradus, ordinis, dignitatis, ac vbi libet locorum existentibus conuinctum cum ceteris, seu diuisim nostrarum huiusmodi prohibitionum, statutorum, ordinationum, iussionum, decretorum, mandatorum transgressor fuerit, statuimus, vt omnibus, & singulis per eum obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus, & officiis, eo ipso priuatus, ac ad illa, & alia similia, vel dissimilia in futurum obtinenda inhabilis perpetuò, & incapax, ac perpetua infamia, & ignominia notatus existat, & præterea priuationem vocis actiue, & passiuæ absque villo superioris decreto, aut ministerio ipso facto incurrat, nec non vltra huiusmodi pœnas, etiam tanquam contra furti, & simonia criminum reum, tam per viam denuntiationis, accusationis, aut querelæ, quam etiam ex officio procedi, & inquiri, condignisque supplicis affici debeat.

Quibus suppositis licet aliqui Doctores loquendo de pœnis criminum sentiant non incurri ante sententiam declaratoriam, vt habetur per Sanchez in summa lib. 6. cap. 15. num. 65. Molin. de iust. & iur. disp. 96. & pœnas priuationis dignitatum, officiorum, & gra-

graduum, item vocis actiue, & passiue, infamiae, & ignominiae non incurrunt ante sententiam criminis declaratoriam, & poenam inhabilitatis incurrunt ipso facto, vt inquit Filiuc. tractat. 34. cap. 3. quæst. 11. num. 79.

Iple tamen censo poenas priuatiuas, ad quarum executionem hominis actio requiritur, vt est priuatio dignitatum, & officiorum, non incurrunt ante sententiam criminis declaratoriam; Alias vero poenas priuatiuas, quæ actionem hominis ad sui executionem non requirunt, vt est priuatio vocis actiue, & passiue, incapacitas, & inhabilitas ad officia, & beneficia, incurrunt ante vllam Iudicis sententiam, ita Bonacin. de leg. disp. 1. q. 1. punct. 7. §. 2. n. 9. de contract. & disp. 3. qu. 8. punct. fin. §. 3.

RESOLVT. LXXXIII.

- 1 Verba Bullæ Clem. VIII.
- 2 Abbates Canonicorum regularium, vel fratrum claustralium comprehenduntur in Bulla.
- 3 Canonici Regulares S. Augustini nequeunt munera facere.
- 4 Moniales prohibentur largitiones munerum facere.
- 5 Religiosi existentes extra Monasterium prohibentur donare.

Quibus personis prohibita sit largitio munerum.

- 1 Verba Bullæ ibi. Hac nostra perpetuò valitura constitutione vniuersis, & singulis cuiuscunque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, bona immobilia, & redditus certos ex indultu Apostolico possidentium, vel non possidentium, seu cuiusvis Congregationis, Societatis, & instituti (non tamen militie) regularibus personis vtriuslibet sexus omnem, & quancunque largitionem, & missionem munerum penitus interdiximus; sub qua prohibitionem comprehendimus volumus omnia, & singula capitula, Conuentus, & Congregationes, tam singulorum Monasteriorum, Conuentuum, Prioratuum, Prepositurarum, Præceptoriarum, Domorum, & locorum, quàm Prouincialia, aut Generalia cuiuslibet Prouinciæ, siue vniuersi Ordinis, Societatis, aut instituti, eorumque, vel earum Camerarios, Commissarios, & quoscunque Officiales, & singulares personas, ipsos etiam ordinum Congreg. & Societatum huiusmodi Superiores, quascunque dignitates obtinentes, etiam Generales, & Prouinciales, Magistros, Ministros, & quocunque nomine Præfectos, nec non Conuentuum, Monasteriorum, Prioratuum, Prepositurarum, Præceptoriarum, domorum, & locorum, quorumcumque Abbates, Priores, Prepositos, Præceptores, etiam maiores Guardianos, Ministros, Rectores, atque Abbatissas, Priorissas, & alio quoum titulo Præsidentes, tam ipsi regularibus, quàm locorum ordinarijs, seu quibuscunque superioribus subiectis vtriuslibet sexus ad vitam, vel ad tempus deputatos nobis patefiant illas personas, quæ prohibentur munerum largitiones facere, sed pro maiori explanatione referam casus in quibus personæ comprehenduntur in Bulla præmentionata.
- 2 Primus casus est Abbatibus Canonicorum, regularium, vel Fratrum claustralium, Cisterciensium, qui comprehenduntur in hac Bulla. Idemque dicendum est de Canonicis Regularibus S. Augustini, vel eorum Abbatibus, & Superioribus, quia dicuntur verè religiosi, ita Nauarr. comment. 2. regul. n. 6. & comment. 4. num. 70.
- 4 Secundus casus est in monialibus, quæ vtique comprehenduntur in Bulla præfata Nouarius in tract. de elect. fori quæst. 62. num. 12. sect. 2. in vltima impress. quia loquitur de regularibus vtriusque sexus, quod procedit etiam si donaret bona ab illis acquisita proprio labore, & industria, nam quæ acquirit regularis,

Monasterio acquirit auth. ingressi, C. de sacros. Eccl. Sorb. super declar. d. Bullæ post verbum donare vers. itaque verum, Beia par. 4. casu 32. in fin. inquit posse excusari moniales, quibus ex consuetudine alio vbi recepta victus tantummodo datur, & pro vestitu relinquitur, id omne, quod opera, & industria sua acquirunt, sed ipsæ parcendo proprio vestitu, & suppellectili aliquid subtrahunt, illudque in licitis vlu infumunt, vt puta in elemosynas, & donationes honestas, sed Valer. in differ. vtriusq. iur. verb. munera num. 51. & 75. contrarium tenet, ex eo, quod cum hæc bona per religiosum sint acquisita Monasterio, & Religiosus non habeat illorum bonorum administrationem, & facultatem liberam, sed limitatam pro sui sustentatione, & vestitu, non potest ea ad libitum disponere, & alijs pro suo arbitrio conferre, nisi causa approbata fuerit in generali capitulo, aut alia generali Congregatione maturè discussa vt in præfata constitutione dicitur, aut nisi alius occurrat casus in dicta Bulla exceptus.

- 5 Tertius casus est, vt præfata Bulla complectatur moniales, aut religiosos extra Monasterium existentes, & in domibus parentum causa infirmitatis, vel alia de causa commorantes, ratioque videtur esse, quia locus non eximit ab obseruantia regulari, & a constitutionibus Summorum Pontificum, Sorbus verb. donare versic. sed ille personæ, licet Valer. loc. cit. num. 29. contrarium firmet.

RESOLVT. LXXXIV.

- 1 Remuneracionis causa bene potest donari, quia non est propriè donatio num. 2.
- 3 Donatio inter patrem, & filium valet remuneracionis causa.
- 4 Mulier potest donare ex causa remuneracionis.
- 5 Infamatio non requiritur in donatione remuneratoria.
- 6 Donatio remuneratoria renouatur per superuenientiam filiorum.
- 7 Concil. Trid. sess. 25. cap. 16. de Regul. declaratur.

Donari an possit à Religiosis ex causa remuneracionis absque metu poenarum Bullæ Clementis VIII.

- 1 IN varijs casibus, in quibus fui consultus, semper dixi Bullam Clementis VIII. circa largitionem munerum non extendi ad Religiosos donantes causa remuneracionis, vt in terminis concludit Rodriq. q. regul. 47. art. 6. part. 2. & post eum Gratian. forens. discept. lib. 4. cap. 202. num. 5. & recenter Nouarius qu. forens. 53. n. 7. lib. 1. addo etiam pro hac opinione Cened. de paupertate Religiosa dub. 27. Molin. de iustit. & iur. tom. 1. tract. 2. disp. 244.
- 2 Nam in iure non dubitatur donationem remuneratoriam esse potius speciem solutionis debiti, & permutationis, ac tamquam titulum onerosum, vt patet in l. Aquilius Regulus ff. de donat. Ibi, defendi non meram donationem esse, verum officium magistri quadam mercede remuneratum Regulum, & in l. sed & si lege S. consuluit in fine, ibi velut genus quoddam hoc permutationis, ff. de petit. hered. Panorm. in rubric. 10. de donat. Aretin. conf. 17. col. 5. Alex. conf. 217. col. 1. lib. 2. hinc licet donatio inter patrem, & filium non valeat, l. donationes quas parentes, C. de donat. inter vir. & vxor. valet tamen causa remuneracionis Corn. conf. 144. col. 2. lib. 2. Soccin. conf. 66. col. 2. Dec. conf. 626. col. 1. Lup. in rubric. de donat. inter vir. & vxor. §. 50. col. 1. Masuer. in sua praxi tit. de donat. §. Item hoc, quod dictum est; & mulier prohibita forsitan donare poterit id agere ex causa remuneracionis Castrenf. conf. 172. lib. 2. & donans liceat habeat beneficium ne conueniatur vltra quàm facere potest deducto ne egeat, l. inter

1. inter eos §. 15. quoque ff. de re iudic. secus tamen est in donatione remuneratoria, Angel. in l. sed hoc ita ff. de re iudic. Rom. conf. 26. col. 2. Barb. in tract. de præstant. Card. in 3. fit 1. par. col. 6. & donatio remuneratoria non indiget infirmatione, Alber. in leg. si pater §. fin. ff. de donat. Soccin. conf. 65. col. 5. lib. 1. Guid. Pap. decif. 95. nec supervenientia filiorum reuocatur, vt plenè tutatur Tiraquell. in l. si vnquam in verbo donatione largitus num. 12. cum sequ. C. de reuoc. donat. vbi plurima alia pro comprobatione cumulata reperies, quæ pœnes ipsum per te videre poteris quibus iungenda sunt nonissimè adducta per Nouarium d. qu. 53. lib. 1. vbi fundauit opinionem, dispositionem Sacri Concilij Tridentini sess. 25. cap. 16. de Regularibus, non habere locum in donatione remuneratoria.

Et confert, nam prælatus Regularis potest donare causa remunerationis, vt voluit Rota apud Ludouisium decif. 401.

RESOLVT. LXXXV.

1. Nouitij veluti non Religiosi non prohibentur donare.
2. Religiosi habentes beneficium Ecclesiasticum excipiuntur à Bulla.
3. Tertiarij non comprehenduntur in Bulla.
4. Religiosi militares excluduntur à Bulla.
5. Episcopis religiosi permiffum est largiuites facere.

Quibus personis non prohibita sit munerum largitio.

1. Nonnulli sunt quibus donationes fieri permiffum est, & inter alios sunt Nouitij, ea ratione, quia Bulla loquitur de Religiosis, quorum appellatione non veniunt Nouitij, quod ante professionem non appellantur Religiosi, nam soli Religiosi professi professione expressa, vel tacita sunt Religiosi, cap. Religiosis de sent. excomm. in 6. maxime in odiosis, vt pulchrè declarauit Nouarius de elect. fori quæst. 63. à nu. 14. sect. 2. Sanchez in summa tomo 2. lib. 5. cap. 5. num. 12. prout etiam Religiosi habentes beneficium Ecclesiasticum, nam in dicta Bulla prohibentur solum largitiones bonorum pertinentium ad Monasterium, cum in hac Bulla sermo sit de donatione eorum, quæ dispositioni prælatorum, & conuentuum subiecta sunt, & ideo Summus Pontifex ipsorum licentiam, & consensum obtineri mandat, ita Nanarr. comment. 2. de regul. num. 6. Molin. tract. 1. disput. 149. & 276. Sanchez in oper. moral. lib. 6. cap. 6. num. 13. & 14. & alij apud Valer. in differ. vtriusq; Iuris verb. munera.
4. Et sic etiam Tertiarij, vt plurimum in hac Bulla non comprehenduntur, quia non sunt verè, & propriè Religiosi, idemque erit de inferuentibus hospitali, Heremitis, & alijs, qui ad aliquam Religionem approbatam admissi non sunt, etiam si in communi viuunt in loco septo, & clauso; nam illi dicuntur regulares, qui tria vota essentialia in Religione approbata emittunt, & consequenter qui tria vota non emisit, aut illa emisit, sed in Religione non approbata, non comprehenditur in hac Bulla, vt Sorb. loco citato.
4. Nec in dicta Bulla comprehenduntur Religiosi militares, vt equites Sancti Ioannis, Sancti Iacobi, Sancti Stephani Alcantaræ, Calatrazæ, & his similes per expressa verba Bullæ ibi (*non tamen militæ*) Et denique Episcopi Religiosi nullatenus subiiciuntur huic constitutioni, quia largitiones non faciunt ex bonis Monasterij, sed ex redditibus, quorum liberam administrationem habent; nam Episcopus Religiosus liberè potest disponere inter viuos, non solum de fructibus, opera sua, aut aliunde acquisitis, verum etiam de fructibus, & redditibus sui Episcopatus, vel beneficij, vti Episcopus vel beneficiarius sa-

cularis, & sic decidit Rota decif. 215. num. 3. par. 2. in nouiss.

RESOLVT. LXXXVI.

1. Accipiens aliquid à Religioso, tenetur ad restitutionem ante absolutionem.
2. Absolutio huius casus est reservata Sanctissimo.
3. Absolutio collata penitenti ante actualem restitutionem, non valet.
4. Confessarius dans absolutionem ante restitutionem, tenetur ipse ad restitutionem.
5. Accipiens aliquid à Religioso, tenetur ad illius restitutionem absque Iudicis declaratoria.

Recipientes munera à Regularibus, quas pœnas incurrant.

1. Ixi superius, ac enarraui pœnas, quas incurrunt Religiosi largitiones munerum facientes: modo videbimus, quibus pœnis afficiantur recipientes munera à Religiosis; vnde accipiens aliquid à Religioso vtriusque sexus extra casus permiffos supra relatos, tenetur ad restitutionem rei acceptæ, nec absolui potest nondum facta reali restitutione, ita expressè habetur in Bulla ibi (*adeo vt restitutione ipsa realiter non facta non possit in foro conscientie absolui*). Et ideo affirmo casum esse reservatum Summo Pontifici ante præstitam satisfactionem ab accipiente; nec valet absolutio collata penitenti ante actualem restitutionem, quia Summus Pontifex iurisdictionem, & facultatem absoluendi adimit, nam illa dictio negativa, non, præposita verbo, potest, tollit potentiam. Caiet. Suar. & alij, quos referendo sequitur Bonac. de censur. disputat. 1. quæst. 3. punct. 9. num. 3. quod intelligendum puto dummodo penitens moraliter satisfacere possit absque graui damno, & incommodo; præcepta enim Ecclesiæ benignè interpretanda, & explicanda sunt, nec ad impossibile obligationem inducunt, leg. si stipuler ff. de verb. oblig. l. impossibile, ff. de reg. iur. & cap. nemo potest ad impossibile de reg. iur. in 6. quare sequitur, impotentem ad satisfaciendum absolui posse data cautione de restituendo, vide Bonac. loc. cit. à num. 4. vsque ad num. 10. Idemque videretur esse si penitens bona fide absolutionem obtineat illius peccati, quod simul cum alijs confessus fuerit, aut per obliuionem contulerit.
4. Et ideo verum est, non esse impertiendam absolutionem ante restitutionem factam, quod confessarius in pœnam, absoluendo modo prædicto, tenetur ipse ad restitutionem, plures refert Bonac. loc. cit. num. 1. & de restit. disp. 1. quæst. 2. punct. 11. videas ipsum, si sentiat contrarium.
5. Prout etiam tenetur ad restitutionem accipiens aliquid à Religioso ante Iudicis sententiam, ita Valer. verb. munera num. 103. tum quia nullo iusto titulo rem acceptans retinere potest cum incapax, & inhabilis effectus sit ad rem illam acquirendam; tum etiam, quia licet pœna, quæ ad sui executionem actionem hominis requirit, subeunda non sit ante Iudicis sententiam: Tamen incurrit ante Iudicis sententiam, quoties superior in foro conscientie obligat ad illam subeundam, seu quoties ante illam sententiam, & declarationem Iudicis obligare intendit, & clarè patet ex verbis Bullæ ibi. Quod si vel ab aliquo particulari Religioso, vel à Superiore copiam Generali, Prouinciali, aut alio quocunque officio surgente, aut à Conuentu, Capitulo, vel Congregatione, siue ab vniuerso Ordine, & Religione quicquam receperint, id quod acceperint suum non faciant, verum ipso facto, absque alia monitione, Iudicis decreto, sententia, aut declaratione ad illius restitutionem, omnino in vtroque foro tenentur.

Huius.

Huiusmodi autem restitutionem esse faciendam Monasterio, in quo degit Religiosus, à quo res accepta fuit, seu alteri loco, de cuius bonis res donata fuit expresse sancitur per Bullam in illis verbis. *Hanc autem restitutionem fieri volumus, non priuatim, & Religioso, qui donauit, sed ei Monasterio, domui, vel alteri loco, de cuius bonis facta est largitio, vel si non de eius bonis donatum est, in quo idem Religiosus donans professionem emisit, vel in nomine totius Capituli, Conuentus, aut Congregationis, vel vniuersi Ordinis, seu Religionis donatio facta extiterit, pariter communi mensae, aut massae, cuius nomine donatum fuerit accepta munera restituantur; ita vt nec qui donauit, nec Conuentus, Capitulum, Congregatio, Ordo, aut Religio, cui restitutio facienda est, illam remittere, & iterum ei donare, aut recipientem ab obligatione restituendi eximere, vel vt in pauperes eroget concedere quoquo modo possit.*

RESOLVT. LXXXVII.

- 1 Superiores possunt concedere licentiam donandi valorem decem ducatorum.
- 2 Quantitas donandi remittitur arbitrio Superioris.
- 3 Iudicis arbitrium quando subintrat.

Quanti valoris debeant esse munera, ne sint contra Bullam Clem. VIII.

- 1 Non defuerunt Doctores affirmantes prelatos regulares posse sibi, & suis concedere licentiam donandi vsq; ad quantitatem decem ducatorum pro causa rationabili puta pro cognatorum nuptijs, pro pauperibus, & similibus causis, ita Cordub. in summa quaest. 54. Lopez part. 1. institut. cas. conscient. cap. 152. Fagundez de precept. lib. 8. tractat. 2. cap. 6. num. 12.
- 2 Verum ego tutius censerem, quod dum in hac Bulla non sit determinata quantitas, debeat id remitti arbitrio Superioris, qui ruminatis conditionibus Religiosi donare volentis, & eius, cui fiat munusculum, & cognita causa, ob quam donatio impartitur, & considerata facultate Monasterij, poterit maiorem, vel minorem facultatem dare in quantitate, & qualitate, Suarez de Relig. tom. 3. lib. 8. cap. 15. num. 13. Azor, institut. moral. part. 1. lib. 12. cap. 12. tit. 4. Sanchez in summa tom. 7. cap. 19. n. 42.
- 3 Vbi enim aliquid in statuto, & lege non est determinatum Iudicis arbitrium versari debet, vt percipitur ex Nouario in suo nouo tract. de elect. & variat. fori quaest. 21. sect. 2. in vltima impressione num. 11. vbi quod tunc succedit arbitrio Iudicis, quando à lege, vel consuetudine, aut statuto certam sanctionem, & declarationem non habemus, affirmans ibidem num. 3. arbitrium regulandum esse iuxta qualitatem personarum.

PRAXIS BONORVM
Patrimonialium.

RESOLVT. LXXXVIII.

- 1 Pater cogitur ad praestandum patrimonium filio ordinando, vel vxorem ducere.
- 2 Argumentum de matrimonio carnali ad spirituale valet.
- 3 Pater diues cogitur subministrare necessaria filio vacare studio, vel intrare volenti Religionem, num. 5.
- 4 Titulus patrimonij quid contineat.
- 5 Patrimonium à patre filio est iterum praestandum, vbi datum perdidit.

Bona patrimonialia semel assignata filio Clerico, an sint iterum danda si prius habita amisit.

Practicatum est quandoq; quod si filius velit promoueri ad sacros Ordines, & pater sit renitens ad constituendum ei patrimonium, tunc potest filius illum cogere iuris remedijs, vt illud assignet, vt in proprijs terminis probarunt Auendan. conf. 17. num. 4. Sanchez de matrim. disputat. 26. sub num. 7. lib. 4. Geneuen. in practicabili Eccles. quaest. 624. quem nouissimè refert, & sequitur Nouarius forens. quaest. 37. lib. 1. num. 1. vbi etiam adducit Crauet. conf. 139. lib. 1.

Quae opinio confirmatur ex eo, quia argumentare licet à patrimonio carnali ad spirituale per cap. inter corporalia de translat. praelat. leg. sancimus, C. de sacros. Eccles. cum alijs adductis per eundem Nouarium forens. quaest. 69. num. 13. lib. 1. sed cum vxorem ducere intendit illum potest cogere, vt sibi constituat donationem propter nuptias in dotis recompensam l. final. C. de dotis promiss. de Benedict. in cap. Raynuntius verbo dotem, quam ei dederat, ergo similiter poterit cogi, vt donationem faciat filio pro Ordinibus suscipiendis, & suo matrimonio spirituali, & dispositio auth. res quae Cod. communia de legat. quod bona subiecta restitutioni non possunt alienari nisi ex causa dotis, habet etiam locum in dote spirituali, vt ibi communiter traditur.

Et facit, quod si pater est diues, & filius velit vacare studio literarum, potest compelli ad ministrandum ei necessaria Archidiacon. in cap. si reliquerit distinct. 30. Lucas de Penna in l. 1. C. qui etate, vel professione se excusant lib. 10. & maior utilitas publica consistit, in factis quam in studio literarum capit. ius autem distinct. 1.

Item consideratur pro corroboratione, quod filio intranti Religionem tenetur Pater aliquid assignare, pro victu suo si Monasterium est inopax, alias secus ex d. l. si quis à liberis de liber. agnoscend.

Similiter iuuatur, quia titulus patrimonij promouendi ad sacros Ordines nihil aliud continet, quam alimenta ne cum dedecore cogatur mendicare cap. Episcopus cap. secundum de praebendis, & certum est, patrem teneri praestare alimenta filio, vt in d. l. si quis à liberis.

Amplia praefatam conclusionem adeo esse veram, quod pater cogatur assignare patrimonium filio Clerico ad sacros Ordines quamuis per prius assignauerit, vbi filius patrimonium perdidit, vt per plura fundamenta doctè quidem affirmat Nouarius d. quaest. forens. 73. num. 4. cum seq. dicens num. 13. iuxta suam opinionem fuisse decisum, declarans id non procedere quando conditio patris esset facta deterior, & contingisset diminutio substantiae illius, quia in tali casu non teneretur iterum patrimonium praestare, prout neque teneri ad redotandam filiam, quae amisit dotem, nisi in quantum adest virtus eiusdem substantiae ex Menoch. conf. 370. lib. 4.

RESOLVT. LXXXIX.

- 1 Alienatio bonorum, ad quae fuit quis ordinatus est prohibita.
- 2 Dicitio nullatenus quid importet.
- 3 Alienationis sub nomine quid contineatur, & an transactio num. 4. Diuissio num. 5. permutatio num. 6. & datio insolutum num. 7.
- 4 Hypothecarum non potest, quod alienari prohibetur.
- 5 Seruitus imponi non potest super bonis, ad quorum titulum fuit quis ordinatus.

Bona